

FRANCISCVS BVRCKARDI CANCELLARIUS COLO-

nienfis.



F

Ranciscus honestis parentibus natus, & in o-  
mni genere uirtutum educatus est. Is cum pri-  
ma literarum rudimenta percepisset, se hinc inde  
ad gymnasia studiorum contulit, atq; artibus & lin-  
guis fidelem operam nauauit. Ea cum didicisset, le-  
gibus incubuit, atq; felici ingenio fretus, Doctora-  
lia ornamēta impetravit. Erat is etiam rara pruden-  
tia & insigni facundia conspicuus. Id cum Colo-  
niensis Elector percepisset, Franciscum magno sti-  
pendio oblato ad se uocauit, inter consiliarios re-  
cepit, atq; etiam suum Cancellarium constituit. I-  
taq; Franciscus munera sibi commissa magna de-  
xeritate expedivit, atque hinc inde, principis  
sui iussu, comitijs Imperij Legatus interfuit, & ob uariam eruditionem ac ui-  
tae integritatem cunctis innotuit. Cum etiam Maximilianus anno salutis hu-  
manæ millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Cesar Franckofurti' de-  
clararetur, ipse cum nouo electore Friderico adfuit, & suis consilijs eius actio-  
nes plurimū adiuuit. Ita factum ut Franciscus etiamnum magna laude inter  
Belgas agnoscatur. Anon.